



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 67. Ejusdem Imperatoris dotes & gesta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

fociavit Eugenium & Trautsonium Prin- Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.  
cipes, Schönbornium, Wratislavium,  
& Seilerum Comites. Postremis hisce  
curis defunctus, die decima septima  
Aprilis Viennæ animam in manus Crea-  
toris sui placidissime exhalavit, annos  
natus triginta tres, Menses tres, dies  
octo. Quamprimum de inopinata Im-  
peratoris morte funestus rumor Urbem  
pervasit, triste erat in frequentissimis  
plateis silentium, ac plerique dejectis  
oculis, ore mœstitiam loquente incede-  
bant, vel dolore oppressi, vel futuro-  
rum metu perterriti. Celebrabantur  
solutis ritibus funeris exequiæ complo-  
ratione, quam pompa, majore.

## §. LXVII.

*Josephi Imperatoris dotes & gesta.*

Princeps erat ob eminentes, plane-  
que admirandas naturæ, animique  
dotes ac virtutes adeo magnus, ut aut  
mori debuisset nunquam, aut ad tam  
breve tempus gravissima supremi Imperii  
mole non onerari: Eminuit lenissimæ  
indolis suavitate, ingenii perspicacis  
acrimonia, memoria ad prodigium fidei,  
& sex linguarum, Philosophiæ, Ma-  
thesis & Historiæ peritia clarus. Leo-  
poldum Patrem & Eleonoram Matrem  
suam etsi jam maturus Imperio, obse-  
quen-



Sæc. XVIII. quantissimi filii pietate coluit semper  
 A. C. 1711. Susceptis inde gubernaculis Ministris  
 omnibus numeris absolutos mira sagacitate selegit, ac ipsemet consilio promptus & felix, clemens, misericors, liberalis, atque ab omni asperitate, regioque fastu remotus Imperii clavum prospere tenuit: erat quidem ingenio fervidioris, brevi tamen placatus, & in quos acerrime invecus erat, morbo bono animo esse iussit. Oblectabatur venatu, Musica, ludis scænicis atque equestribus, ac subinde genio indulgentior, in elegantioris sexus consuetudinem se dedit, nunquam tamen ex usque se abripi patiebatur, quin ad cuiusdam Carmelitæ Excalceati, qui apud eum gratia plurimum valebat, monita identidem in viam reducetur: prævaluit enim semper cupiditati Religionis studium, & conscientiæ teneritudo. Collidebatur quidem cum summo Pontifice ob primarum precum usum, atque exercitum in beneficiarios Italiæ fundos immisum, resque ad mutuas injurias armaque spectabat: obtendebat tamen Imperator certi juris possessionem, bellicque necessitatem. Ducesque, nequid in Pontificiis ditioribus hostile agerent, literis suam manu exarratis admonuit; Amplioribus longe encomiis rerum Austriacarum



rum Scriptores celebrant Josephi Augustissimi Imperatoris memoriam: nil tamen certius superest addendum, quam eum aliquando fuisse, floruisse, decidisse.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1711.

§. LXVIII.

*Summi Pontificis officia erga defunctum Cæsarem, ejusque cura circa Successoris electionem.*

Nulla res magis inquietis curis agitabat Clementis Papæ animum quam Comaclensis Urbis jactura, ea propter die vigesima quarta Januarii Imperatoris Conjugem, Carolum Hispaniæ Regem, Eleonoram viduam Imperatricem & Principem Eugenium literis fatigabat, efflagitans, ut hanc urbem, quam jure certo ad Sacram Sedem pertinere asseruit, restitui procurarent. Postquam vero immaturum atque inopinatum Josephi Imperatoris obitum compererat, die vigesima septima Aprilis habito secreto, ut vocant, *Consistorio* Cardinalibus extremi sui doloris rationes exposuit. Hunc ergo alieno Reipublicæ tempore ab humanis decessisse ajebat, eoquod Romanorum Regem in spem successionis non reliquerit, & adhucdum pertinax inter Christianos Principes bellum arderet,

*Epist. Clem. XI. p. 1534. Orat. ejusd. Consist. p. 54.*